A. J. Krakewitz

de mortificatione membrorum terrestrium.

Col. III., 5.

Hafn., 1695.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

1,-309.-4

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01551 7

+REX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
MORTIFICATIONE MEMBRORUM TERRESTRIUM
Ex Col. III. v. 5.

Quam

Sub PRÆSIDIO

DN: HECTORIS GOTHOFREDI MASII

S. S. Theol: Doct: & Prof: P.

Publicæ diſqviſitioni exponit

Die 26 Septembr. Anno 1695.

ALBERTUS JOACHIMUS Krakevitz/

Nob: Megapol:

AUTOR.

Hafniæ, Literis JOH. JAC. BORNHEINRICH.

IX.

1658

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

APPROBATIO

Ita τὴν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἡμῶν νέκρωσιν diſſertatione hâc explanat Nobiliſſimus Auctor, declaratq; regulam illam Apoſtolicam: ἵνα σταυρωθῇ ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος, καὶ καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας (Rom. VI. v. 6.) non in diſciplinâ aliqvâ Monaſticâ, aut ſuperſtitioſâ aliqvâ lanienâ corporis, vel Baaliticâ, vel Papiſticâ, conſiſtere ; Ut τὴν ζωὴν pariter τοῦ ἄνωθεν δεδομένου μέρους, puto, immortalis animi & ingenii ſui, non obſcurô documentô, perſpicuam ac manifeſtam reddat; ſeq; ipſum, ceu σκεῦος εἰς τιμὴν, καὶ δένδρον plantationis divinæ, minimè ἀποθανὸν, ἢ φθινοπωρινὸν, ἢ ἄκαρπον, Eccleſiæ Θεοῦ ζῶντος pulcherrimè commendet. Qvod ipſum, dum ſub præſidio tanti inter Nos Theologi audet, nihil eſt, cur typos abnueremus publicos. Haſniæ VIII id: Sextil. Anno M. DC. XCV.

H. BORNEMANNUS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO
DN: FRIEDERICO
DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMq; PRINCIPI HÆREDITARIO.
DUCI
SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ & DITHMARSIÆ
COMITI
IN OLDENBURG & DELMEMHORST
PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

SERENISSIME PRINCEPS.

REdditum TE PRINCIPUM AUGUSTISSIME, Danicis tuis terris, unusqvisq; Gaudiis undiqvaq; circumfuſus ſubmiſſa veneratione excipit. Tuus Conſpectus uti Sereniſſimus ita jucundiſſimus omnes recreat & reficit; hinc & omnes læti ſunt lætitiisq; omnibus gaudent ac triumphant. TE, exclamant uno omnes ore, TE tenemus voti noſtri Summam, PRINCEPS PRINCIPUM DECUS & noſtrorum omnium Præſidium; ideo exultamus. Haffnia Tua triumphat, qvia non leve ac tralatitium gaudium intra animos fideliſſimorum Tuorum Civium, æſtuat. Omnis ætas & ſexus omnis & omnis ordo in Tuo reditu ſe attollunt & emicant, qværunt undiq; & circum ſpiciunt vias, qvibus in gaudia ſua erumpant. Incitant ſe invicem ad demiſſe agendas gratias Summo rerum Moderatori, qvem hactenus votis ſuis ac precibus dies noctesq; vatigaverunt. Tuam SERENISSI-

ME

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

ME PRINCEPS incolumitatem à Deo immortali, igneæ mentis affectu atq; fiducia ſollicitavimus, ideo nunc, qvia Deus vota noſtra rata habuit; cum proſperè ceciderint omnia, qvorum cauſa abeſſes; cum Tua Regia Celſit: in qva ſpes omnis ſalutis ac fortunarum noſtrarum ſita eſt, fortis ac hilaris domi redux facta, ideò inqvam canamus Deo Domino noſtro grates, ſit benedictum glorioſum Tuum Nomen O Domine Deus noſter in ſeculorum ſecula. Ego *verò* SERENISSIME PRINCIPUM, dum publici gaudii & gratiarum actionis ſtrepit feſtivitas, dum feſto plauſu bonisq; ominibus latè reſonant omnia, & me pedibus Tuis humillima ſubmiſſione advolvo, ea mihi in ſuper certiſſima eſt animi fiducia, TE Principem, omnium Heroicarum Virtutum Exemplar demiſſurum eſſe vultum Tuum ad eum, qvi ſui ſubjectiſſimi & obſervantiſſimi animi teſtimonium cum omnigenæ Felicitatis voto offert. Qvam verò Gratiam SEREN: TUÆ CELSIT: aſpiro eò facilius ſpero, qvod certiſſima Dei Opt:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

Max: directione eam Tibi elegeris Sanctiſſimi tori & vitæ conſortem, qvæ SERENISSIMI PRINCIPIS GUSTAVI ADOLPHI. Ducis Megapol: Heri ac Domini mei inæſtimabilis, Filia; Sereniſſimi Patris imago & Auguſtæ Matris Exemplar; Virgo Princeps in Qva Seculum habet, qvam jactet poſteritati, qvam conferre cum omnibus omnium ætatum ornamentis tutò auſit, ut cui benevolente & juvante Deo contigit, tam omnibus numeris abſolutam edere PRINCIPEM, ſibi, Patriæ, nobis deniq; omnibus ſempiternæ futuram gloriæ. Omnes Tui SERENISSIME PRINCEPS rapiuntur in gratulationes & vota, rapit & me hodierni temporis inexhauſta lætandi gratulandiq; materia, rapit me in vota tacere neſcia veneratio, & qvamvis incondita tamen obſervantiſſima imo ardentiſſima nuncupare, imperat. Nonne fauſtiſſimum cœleſtisq; favoris ſingulare hoc eſt Manifeſtum, qvi celſiſſimas has animas arctiſſimo vitæ & tori conſortio conjungere decrevit. O admirabile Conjugum par, cum qvo qvod comparare qveat, vix ulla habebit ætas! O Conjuges ſui qvisq; ſexus principum facilè Principes! Hoc connubium non tam videtur VIRI & FOEMINÆ, qvam ipſarum inter ſe rariſſimarum Virtutum utrimq; maximarum copula. Salutavit TE, Princeps omni elogio major, Ducatus Megapol: Patria mea dulciſſima, SPONSUM PRINCIPIS ac DOMINÆ noſtræ Sereniſſimum, Dominum ſuum Clementiſſimum. Neſcit qvibus verbis felicitatem hujus anni ſatis efferat, qvæ Danicarum Terrarum cum Meclenburgenſi commercium redintegrare allaborat, Tantiq; à Deo dati PRINCIPIS divinitus conceſſas animæ dotes (quæ omnium captum excedunt) admirabunda Veneratione proſeqvitur. Tenerrimum & Flagran-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

rantiſſimum amorem erga Tuam Regiam Celſitudinem Auguſtiſſimam noſtram PRINCIPEM impenſius amantem, cum incorrupta reverentia ceu par eſt ſemper copulabit; ſangvinem, fidem & ſtudia civium ſuorum uti hactenus ita & imposterum Daniæ Tuæ offerret. TE Herum ſuum incomparabilem; Principem verò Tuam Dominam ſuam Clementiſſimam deprædicabit. Hujus Patriæ meæ civis minimus, ſtudia mea Regiæ Tuæ Celſitudini humillima ſubmiſſione offero: Seqventes Pagellæ, qvæ in Hafnia Tua lucem publicam aſpicere cupiunt, TE tanqvàm Conſummatiſſimo Principe abſente, à me congeſtæ, nunc autem TE ex omnium votis fecliciſſimè Præſente, à TUÆ REGIÆ. CELSIT. Luce unicè ſplendorem deſiderant. Tuum eſt Celſiſſimum Nomen SERENISSIME PRINCEPS cui illæ ſacræ eſſe anxiè flagitant. TU enim es, invictiſſime Heros, qvi ex omnium judicio inter Principes eruditione pariter atq; exqviſitiſſimis qvibuslibet virtutibus inclytos, palmam tenes; Tua eſt Regià Celſitudo qvæ toti orbi admirationem objicit & qvæ poſt Parentis Tui ut Auguſtiſſimi ita omni laude mea longè majoris, Regiam Majeſtatem univerſis Tuis Provinciis in delitiis eſt. Cui itaq; qvam ſacratiſſimo Tuo Nomini hæc adſcriberem. Accipias igitur Clementiſſime PRINCEPS pro ea clementia quæ Totius Tuæ Celſiſſimæ Familiæ qvaſi proprium eſt, hanc, qvam humillimè offero, diſſertationem. Tempus mox inſtat SER: PRINCEPS, qvo primitiæ frugum offerri ſolent; En hujus anni laborum meorum theologicorum primitias, immaturas qvidem; ſed tales, qvæ, ſi arbor Tuo tanqvàm fulgentiſſimæ ſolis favore beata fuerit, imposterum meliores promittunt. Interim Deum Optimum Maximum omnis veri boni Datorem & Con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

Conſervatorem ſupplex veneror: Servet SERENISSIMUM noſtrum PRINCIPEM Celſiſſimæ Regiæ Familiæ Columen ac Culmen. Religioni Chriſtianæ Propugnatorem acerrimum, univerſis ſuis Provinciis Præſidium, civibus ſuis aliqvando ad gubernandas Patrias terras Regem invictiſſimum, militibus ſuis in comparabilem atq; Heroico ſpiritu in flamnatum Ducem, & deniq: in eruditorum ſolatium natum Principem tanqvàm omnis rei literariæ Patronum Munificentiſſimum & qvæ Piorum Dominorum vota unqvàm optare poſſunt, illa ex divitiis inexhauſtæ Bonitatis ut ſupernè demittantur, devotiſſimi pectoris precibus ſollicitare non ceſſabo. Largiatur ſupremus rerum arbiter Deus PRINCIPI huic noſtro, in ſpem ſeculi nato, materno ſub corde coronato & in baptismate FRIDERICI Nomen adepto, Salomonica ſicq; pacifica tempora. Semper Divina Bonitas hunc ſibi Cariſſimum Principem unacum Serenisſima Principe tanqvàm ſibi addictisſima Anima commendatum habeat. Sit major votis felicitas, Tribuat, tribuat Deus Pietati Serenisſimarum harum Animarum dignam vicem, reddatq; abundè, qvod Auguſtiſſimis ſuis Parentibus reddiderunt. Summe, æterne, immortalis Deus, qvi tenes omnia, qvi imples & ſuſtines omnia, audi inqvam & perfice, qvæ nunc precamur & ſemper deinceps precabimur; Tu ipſos ſucceſſus harum Proſperitatum confirma, auge, provehe, ut læta ſecundaq; eorum certa omnia, ſtabilia, perpetua ſint.

ita devotiſſimè vovet

REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS

Subjectiſſimo animo devotus

ALBERTUS JOACHIMUS Krakevitz.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

Benevolo Lectori
S. P. D.
H. G. MASIUS

DUdum ab Eccleſia noſtra calumniæ labem abſterſère Doctores, qvam ſuperiori ſeculo illi impingere conati ſunt Tridentini Patres, & hodie vel centies moniti majori indies impudentiâ repetunt Pontificii; *Eam ſcilicet eſſe Lutheranorum de Juſtificatione ſententiam, ut Sola fide abſolvant omnia, ſanctificationem ſeu renovationem penitus excludant, atq; adeo bonorum operum ſtudio infenſi ſint, ut de mortificatione veteris hominis ne ullum qvidem verbum in ſuis ſcriptis extare patiantur.* Quæ tam craſſa eſt & putida calumnia, ut vel praxi qvotidianâ Lutheranorum, qvi ſacra pulpita conſcendunt, refelli penitus poſſit. Eòqve magis Novatores hodiernos miramur ita affectibus abreptos aut propriæ ſanctitatis perſuaſione ebrios, ut ſanctitatem ab orthodoxis gelidè nimis doceri contendant, ut hac etiam parte ad Weigelianos propius eos accedere intelligas, qvorum ut perpetua erat de *mortificatione, abnegatione* &c. malè explicata doctrina, ita qvotidiana de noſtris qverela, qvod veræ pietatis ſtudium nimis ſegniter inculcarent. Qvod ipſum ſi doctrinæ Evangelicæ ac hypotheſibus ejus imputatur, næ illi manifeſta nimis & graviſſima fit injuria. Per verbum enim & Sacramenta non ſolùm rege-

generari ſeu juſtificari ſalvandos, ſed & mente, voluntate & affectibus renovari docemus; ita tamen ut renovationem â Juſtificatione accuratè diſtinguamus. Hæc enim actio eſt ſolius Dei fitq; in inſtanti, & eſt perfecta: illa verò ſucceſſiva eſt Dei hominisque actio, occupata circa facultates hominis tam ſuperiores qvàm inferiores, actiones & paſſiones, internas atque externas, naturales & ſupernaturales, eſtque imperfecta ex parte hominis tanqvàm ſubjecti recipientis. Dum facultates ſuperiores ac inferiores dicimus, intellectum, voluntatem, & appetitum ſenſitivum innui qvivis facilè videt. Dum actiones & paſſiones nominamus corpus ejusque membra huc qvoq;, arceſſimus, quatenus animæ renovatæ in obeundis actionibus, inſtrumenta ſunt. In qvantum verò facultates animæ corruptæ ſunt, *Vetus homo* dicuntur, qvem mortificari vult ſcriptura *Rom. 6, 6. 12. Eph. 4. 22. Coloſſ. III, 9. 10.* &c. Ex his autem locis ſcopo ſuo maximè conformen elegit Nobiliſſimus Autor Dn. Albertus Joachimus de Krakevitz nobili ſtirpe oriundus, illuſtriori tamen encomio dignus, qvod veram nobilitatem non in fumoſis majorum imaginibus & ſcutis ſed in virtute & verâ veri Dei notitiâ quærendam eſſe exiſtimârit. Dedit hæc eadem familia jam olim nobis Theologum ipſi Daniæ noſtræ non ignotum, cujus veſtigia ſic legere noſter cœpit, ut exemplo domeſtico animatus & generoſi pectoris ſtimulo agitatus rarà animi contentione ſacra ſtudia tractet, neque in ultimis ſubſelliis conſiſtere glorioſum ducat, ſed ad faſtigium eruditionis Theologicæ pervenire conetur.

Quo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

Qvo exemplo utinam alii ad ſimiles auſus ſeſe excitari paterentur, neque illam de purioris doctrinæ profeſſione hypotheſin foverent, ac ſi vel impuram redderet nobilitatem, vel ſaltem jura equeſtria imminueret paulum ac debilitaret. Quæ ſententia neſcio quo fato aut potius injuria mentes quorundam faſcinârit, ut cùm in Eccleſia Pontificia aliisque non obſtare videant vel Procerum ac Principum ſortem, quin negotiis Eccleſiaſticis immiſceri lubenter velint; Solam Eccleſiam Evangelicam tam infimo loco conſtitutam eſſe putent, ut ejusmodi miniſtris non ſatis digna videatur: Quæ ipſa tamen ſi reditus paulò ampliores, & honorum incrementa ſuppeditaret, dubium non eſt quin Illuſtrioribus procis urgeri quotidie poſſet. Saltem doctrinæ ipſi non debet hunc contemptum. Nemo enim vel ſanæ mentis homo ſibi perſuaderi patietur, cum gladiis & ſclopetis potius conſiſtere nobilitatem poſſe quàm cum armis Spiritualibus, Verboque Dei, unica nobilium ac ignobilium regulâ. Indigna ſæpe judicia de his ſtudiis ferri audivimus, qvæ ita tamen comparata ſunt, ut Autores ſuos imbecillæ mentis potius quàm malitiæ convincant. Fruatur ſuo quisque genio, modò debitam illis laudem non invideat, qui ſupra vulgi opinionem ſe ſuosque conatus conſtituunt, nec imperitæ plebis judicio ſed veritatis pondere res ſuas metiuntur. Eo nomine inſignẽ ſibi laudem vendicat Nobiliſſimus noſter *Krakevitzius*, tantò magis nobis æſtimandus, qvantò alacriori animo ad ſuggeſtum pariter & cathedram Academicam fertur,

 utrâq;

utrâq; manu in vinea domini operaturus, *Tros Rutulusve fuat.* Qværant alii per vulnera mortem, & ſangvine proximi inanis victoriæ titulos mereantur; Huic noſtro conſtitutum eſt militiam ſacram ſectari, & incruentis triumphis & ſe ipſum & Eccleſiam nobilitare. Macte verò generoſi animi viribus, *Nobiliſſime Autor,* & divinitus conceſſis dotibus in proximi ſalutem, Eccleſiæ emolumentum & Reip. literariæ commodum uti perge. Ita omnibus exploratum erit, qvam dignos nobili pectore & quam divinos alas igniculos, & qvantopere ſub tuis Præceptoribus profeceris, magnis Eccleſiæ Evangelicæ Doctoribus, celeberrimo olim *Schomero*, qvem nimis citò Eheu! Academiæ Roſtochienſi vel toti potius Eccleſiæ Fata eripuerunt, & conſummato Theologo *D. Fechtio meo*, qvem diu nobis ſuperſtitem Deus eſſe jubeat (ita enim precari pium eſt Viro optimo de Eccleſiâ Chriſti præclarè merito, & orthodoxiæ veræ ſine acerbitate tenaciſſimo, adeoq; myſteriorum diſpenſatori prudentiſſimo.) Tibi verò Deus qvam indidit mentem à corruptis ſeculi moribus falsisq; opinionibus alienã, porrò intemeratam ſervet, ut quam hac diſputatione deſcribis *mortificationem*, & vità exprimas & aliis feliciter inculces.

Amen.

I. N. J. A.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

I. N. J. A.

PROOEMIUM.

Digna ſanè eſſent verba ſancti Apoſtoli Pauli, ut tanqvam Regula vivendi ab omnibus ſeligerentur hominibus; qvando in 1. ad Cor. X. v. 31. talem concluſionem format: εἴτε οὖν ἐσθίετε, εἴτε πίνετε, εἴτε τι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε. *Sive editis, ſive bibitis, ſive qvid facitis, omnia facite ad gloriam Dei.* Hac ratione unusqvisq; peccata vitaret qvàm maximè, omnia facta noſtra ad voluntatem Dei componerentur, ſicq; vita noſtra mandatis divinis conformis foret; Sed proh Deum immortalem, qvæ vos dementia cepit ô Mortales! nihil minus ferè cogitatis, qvàm omnia, qvæcunq; veſtra ſunt, ad divini Numinis gloriam dirigere, cum tamen hoc maxime ab omnibus reqviratur, & ad hoc etiam redempti ſimus ſangvine illo pretioſo dulciſſimi noſtri Salvatoris Chriſti. 1. Cor. VI, 20. *Nam emti eſtis pretio, glorificate igitur Deum in corpore veſtro & in ſpiritu veſtro, qvæ ſunt Dei.* Non ſolum ſpiritus ſed & corpus Deum glorificare debet. Hujus glorificationem duplicem facit Paulus ad Phil. I, 20. *ita nunc qvoq; magnificabitur Chriſtus ſive per vitam ſive per*

mortem & oſtendit: qvomodo in corpore poſſimus magnificare Chriſtum tum in vita tum in morte; *in vita* qvando ſanctitati & innocentiæ morum ſtudemus; *in morte*, ſi propter nomen Jeſu Chriſti qvævis ſupplicia, Deo confiſi, ſuſtinemus.

Illa glorificatio nempe ſpiritus meritò prior dicitur, altera corporis poſterior, priori enim ceſſante, & altera ceſſabit, qvia poſterior è priori qvaſi manat, ex qvo ſeqvitur; qvod indivulſo nexu hæ invicem conjunctæ ſint. Qva ratione vero utraq; fieri debeat ſeq: paginis demonſtrabimus, commoti; ob ſummi Numinis ſeveriſſimum præceptum, ob maximam neceſſitatem & deniq. omnibus communiſſimam utilitatem. Et qvamvis non ad palatum Lectoris hæc fuerint, condonabit tamen eò facilius, qvo pauciores Anteceſſorum in hac materia invenerit. Videbimus tamen pro viribus noſtris: qvomodo vera Dei glorificatio fiat, per ſinceram hominis mortificationem, ducti ſententia Paulina Col. III, 5. Νεκρώσατε οὖν τὰ μέλη ὑμῶν τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, πάθος, ἐπιθυμίαν κακὴν, καὶ τὴν πλεονεξίαν, ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία.

Mortificate igitur membra veſtra terreſtria, ſcortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malam & avaritiam qvæ eſt Idololatria.

So tödtet nun eure Glieder die auf Erden ſind / Hurerey / Unreinigkeit / ſchändliche Brunſt / böſe Luſt / und den Geitz / welcher iſt Abgötterey.

Ad cujus materiæ aliqvalem conſiderationem, benigniſſimi Numinis auxilium devotiſſimis imploro precibus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

cibus, velit ille ſupremus director omnium cogitationum, mentem meam ita dirigere, qvo & omnia qvæ ſcripſero vergant in ipſius ſanctiſſimi Nominis gloriam, & ut ipſe viam Domini edoctus, in corpore meo tum vita, tum morte, glorificare Deum, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, gratia Spiritus ſancti adjutrice qveam.

Sic mors mihi vita erit.

SECTIO PRIMA EXEGETICA.

Particula οὖν, qvæ ſtatim initio noſtri verſ: habetur, manu quaſi nos ducit ad antecedentia & quidem ad v. 4. in qvo videmus, qvænam ſit cauſa impulſiva noſtræ mortificationis; *poſtquàm autem Chriſtus vita illa noſtra manifeſtus factus fuerit, tum & vos cum eo pateſietis gloria* nimirum glorioſa patefactio noſtræ vitæ. Hanc vitam noſtram antea vocaverat abſconditam, & quidem cum Chriſto in Deo, poſſet hoc declarari ex aliis Scripturæ locis, ubi pii vocantur *occulti, abſconditi*, ſi propoſiti noſtri eſſet. Sed ad ſcopum; ſenſus eſt: Si vos vultis patefieri cum Chriſto, mortificare debetis membra veſtra. Non verò hoc aſſerimus; acſi cauſa aliqva meritoria hujus patefactionis ſit mortificatio, planè non, quæ controverſia in Sect. II. Polem: dijudicanda veniet, ſed ut hoc inferatur: Unusquisque qui tandem cupit particeps eſſe glorioſæ illius patefactionis, ille neceſſariò debet mortificare membra ſua, ra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

tio eſt, ſi enim hoc omittit, omiſſio eſt cauſa damnationis, malè verò inferretur: Sine quo non poſſum ſalvus eſſe, id eſt cauſa ſalutis, aut ad minimum cauſa ſine qua non, atqui ſine mortificatione carnis & ſtudio vitæ inculpatæ, non poſſum ſalvus eſſe, E. Rationem reddit D. Alberti in A. C. theticè & Apol. pertr. p. 296. *quia τὸ: non eſſe ſine aliquo, ſit quidem neceſſarium, ſed non adæquatum requiſitum cauſæ ſine qua non, ideoq; ab illo negativè quidem non autem affirmativè V. C.* Sed ut dixi, de his pluribus infra. Nunc in id tantum intenti ſumus, ut genuinam vim hujus particulæ oſtendamus. Variant h. l. interpretes: B. D. Calovius in Comment. ad h. l. ita ſcribit: *Eſt hæc illatio è beneficio in baptiſmo accepto, ad officinm per totam vitam præſtandum.* Summè Venerando D. Seb. Schmidio videtur Apoſtolus reſpicere, tum in genere ad ſuperius diſputata, tum inprimis quantùm ad phraſin Cap. II. v. ult. & Cap. III. v. 2. hoc ſenſu. *Dixi, vos non debere quærere ea quæ ſuper terra ſunt, unde hortor meritò, ut non mortificetis membra corporis veſtri naturalis, per ἀφειδίαν & negationem debiti honoris, ſed membra veſtra quæ ſuper terra ſunt corporis peccatorum carnis, hæc membra, hoc corpus mortificanda ſunt non illa.* In qva ſententia quoq; reperitur eſſe celeberrimus ille Theologus Ægid: Hunnius ad hunc locum, ex quo ita colligere datur p. 711. Qvid hac præſcripta ratione, mei Auditores, vobis faciendum erit? *mortificate membra non corporis ſed Veteris Adami, vel membrorum concupiſcentias ſeu peccata.* Chryſoſtomus ad ſeq. cogitationes nobis anſam dat p. 1275; hanc præſentem vitam non eſſe noſtram vitam, ſed aliam eſſe exſpectandam,

igitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

igitur Paulus laborat Coloſſenſes immutare, alioque, eos transferre contendit, ſive enim *mortui eſtis* v. 3. non debetis terrena quærere, ſeu in ſupernis eſtis, quid inferiora vos turbant? addo, quia hæc vita non eſt veſtra vita, ideoque & membris veſtris adimite vitam h. e. mortificate. Vetuſtiſſimus Theologus ille Theodoretus Cyrenſis illationis particulam ideò à Spiritu S. adhibitam putat: *Qvoniam Paulus legis obſervationes ejecerat, ne exiſtimarent ſibi liberam datam eſſe peccandi licentiam, de eô etiam neceſſario ſapienter, ea, qvæ par eſt præcepiſſe.* Hæ omnes obſervationes qvemadmodum non parvi momenti ſunt faciendæ, ita maximè ad illuſtrandum conducunt. Res ipſa qvæ proponitur ab Apoſtolo Paulo ſequentibus verbis incluſa eſt: *mortificate membra veſtra terreſtria.* Nunc ante omnia nobis expendendum erit; quid per *mortificare & mortificationem* intelligatur. D. Hunnius c. l. explicat *per deponere craſſa peccata carnalia,* quod cum contextu & intentione Spiritus S. optimè congruit, ideo & nos manemus in illa ſententia, eamq; Scripturæ S. propriam eſſe ex aliis locis oſtendemus, & qvidem ſtatim nobis obviam venit locus Rom. VI, 12. *Non regnet peccatum* hoc eſt illud Venenum, qvo totum noſtrum corpus infectum eſt, & qvod *domicilium ſuum in nobis ipſis habet.* Rom. 7. v. 17. hoc peccatum in ſuo domicilio regnandi maximam habet cupiditatem, dominiumque ſuum in irregenitis ſummo cum ſucceſſu exercet. Exemplo eſt Cain Gen. IV. v. 2. Ne igitur illius ſimus aſſeclæ, neceſſe habemus, *ſubtrahere membra noſtra ſervitiis impuritatum & iniquitatum & contra illa ſerva dare juſtitiæ ad*

 ſancti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

ſanctimoniam Rom. VI, 19. hinc notanter Paulus 1. Cor. 9. v. ult. dicit ἀλλ' ὑπωπιάζω μȣ τὸ σῶμα καὶ δȣλαγαγῶ, hoc eſt, ſed *ſupprimo* (*ſive contundo* ut Beza habet) *corpus meum*, *& in ſervitutem* redigo. Præterea Scriptura S. hoc mortificare deſcribit, *per depoſitionem omnis malitiæ* 1. Petr. II v. 1. & per contrariam ej9 qvalitatem nempe θυσιάν ζῶσαν Rom. XI, 1. ubi non tàm oppoſitio in ordine ad ſacriſicia V. T., quæ *mòrtuà* non *viva* offerebantur, inſinuatur, ſed vita etiam ſpiritualis, quæ per fidem eſt, nec non mortificatio affectuum & cupiditatum, qua juſtificati per fidem, reputare ſeſe debent mortuos peccatis, Rom. VI, 2. viventes autem Deo in Chriſto Jeſu. Rom. VII. v. 11. *Oſtenditur* inquit B. Glaſſius, in Exeg. Ep. T. I. p. 1090. *Simul hujus ſacrificationis* tum *principium, quod eſt vivificatio ſpiritus ſancti per verbum vitæ* de qua Eph. I. 4. 5. *tum oppoſitum, quod peccata & opera mortua ſint* Eb. IX, 14. *Qvantum peccatis in continua mortificatione carnis decedit, tantum accedit ſpirituali vitæ in Chriſto & viventi huic ſacrificio tum finis, qui eſt vita æterna*, item *per expoſitionem veteris hominis* cum actibus ſuis Col. III, v. 9. Locutio vero illa νεκρῶσατε eſt locutio tropica deſumpta à traditione alicujus in mortem, cui per mortem adimitur omnis poteſtas quæq; faciendi, ut ſenſus ſit: ita debetis mortificare membra veſtra, ut non licentiam habeant pro lubitu opera iniqvitatis exercendi. At non prætermittenda erit Expoſitio illa qvæ & D. S. Schmidio placet *mortificari peccata figuratè dicuntur & metaphoricè, quando illorum vis atq; impetus debilitatur & infringitur virtute inhabitantis ſpiritus S. & cum illa declinantur, tanquàm profeſſioni, ſtudio atq; curæ Chriſtianorum (quorum eſt quærere regnum cœlorum) è diametro contraria,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

traria. Ex quibus dictis ita concludo. Quod virtute ſpiritus S., qui in baptiſmo nobis datus eſt, debeamus reſiſtere motibus vitioſis, qua reſiſtentia, ſpiritus ſanctus ipſe vitia in hærentia infirmat & diminuit, vim atq; impetum eorum impedit, & eodem modo etiam ipſi actus vitioſi declinantur ut non perpetrentur, & peccatum originale dominium in nos exercere nequeat, ideo Salvator noſter dulciſſimus, ſalutare illud conſilium de eruendis oculis reliquit Matth. V, 29. quibus oculis? internis, membra enim noſtra externa non ſunt cauſa peccati ſed interna. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidià, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ Math.* XV, 19. itaq; non vult Chriſtus ut corpus noſtrum mutilemus (quamvis apud ſcriptores, profanos, aliqvando in hac ſignificatione vox mortificationis reperiatur, ut idem ſignificet ac occidere, quemadmodum Carolus du Freſne in Gloſ: Tom. II. p. 682. hanc phraſin adducit *quærebant omnibus modis mortificare Regem Henricum.*) hoc enim eſſet in quintum præceptum peccare, quod homicidium prohibet, ſed vult ut pravos cordis motus compeſcamus. *Qvoties* inquit D. Oſiander ad hunc locum *oculos ab aliena muliere avertis*, ne *cor tuum illicitis flammis accendatur*, & *coerces animi motum impudicum*, toties *oculum Vis-Adami eruiſti & abjeciſti, quoties manus tuas ab impudico tactu prohibes, & animi affectum impurum compeſcis & damnas, toties manum Veteris Adami abſcindis.* vid. pl: ib: Addi etiam ſequentia poſſunt ex ſacrarum literarum codice hauſta, quando nimirum Rom. VII, v. 13. ſpiritus S. ita loquitur, quod mortificatio in eo conſiſtat. quod non *vivimus ſecundum carnem, ſed ſpiritu actiones carnis mortificamus & vivimus*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

vivimus Eadem ratione divus Petrus quoq; docet. Quod conſiſtat in abſtinentia à peccatis & carnalibus deſideriis contra animam militantibus. Ex quibus patet; qvid cenſendum ſit de illa mortificatione carnis Baalitarum, qui corpus vulnerabant, in 2. Reg. 18. v. 28. legimus: quod clamarint voce magna, & inciderint ſeſe pro ratione ipſorum, gladiis & ſpiculis uſq; adeo ut ſe perfunderent ſanguine. Eſſenorum & Phariſæorum ſtultitia reſpondet priori, carnem hi graviſſimè macerabant, nec tamen ob id ſanctitatis ſed hypocriſeos titulum Chriſto judice promeriti ſunt, illud itaq; judicium qvod à Chriſto de Phariſæis latum, & ferendum erit de iis, qui perfectionis ſtudium & conſummatam ſanctitatem in iſtis carnificinis ponunt. Confer Franciſci Clingii Treuhertzige Ermahnung für Abfall. p. 230. & 231. Sancti fuerunt Patriarchæ, ſancti Prophetæ, ſancti & Apoſtoli, tamen in corpus ſuum nunquàm ſævierunt, quid Ergo dicendum, num Franciſcani & reliqui Flagelliferi erunt longè ſanctiores Patriarchis Prophetis & Apoſtolis, imo & ipſo Chriſto, de quo nullibi ſcriptum exſtat, quod ſe vel flagellaverit vel virgis percusſerit? hoc dicendum ex ore divino Eſ. I, 12. quis requiſivit iſta de manibus veſtris. Sed ne ſine fundamento hæc dici videantur, neq; injuriam Pontificiis faciamus iſtis, nonnulla exempla crudelitatis, non dicam ſtultitiæ afferamus. Gerardus à Nazareth. cap. II. de *Alberico Monacho* refert: quod flagellis ſe frequenter percuſſerit, adeo; ut largus cruor deſtillaret, & ita corpus deformaretur acſi quidam morio eſſet. Sic *de Baldwino Archi Epiſcopo Cantuarienſi*

legi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

legimus: eum à primo Monachatus ſui tempore nunquam carnes comediſſe, hinc cùm aliquando Vetula ex ipſo qværeret, num res ita ſe haberet? & ille affirmaret, reſpondit iſta: *Se hoc credere non poſſe, cùm proprias carnes ita vorâſſet ut vix oſſa reliquiſſet. Franciſcus Aſſiſius*, qvàm ſævierit in carnem ſuam, qvàm aſpero cilicio & ſordida veſte pediculis crebrò affluente, uſus fuerit ex ipſius legenda conſtat, ubi in cap. 6. narratur, quòd, cùm aliquando ægrotus de rigore abſtinentiæ parùm remiſiſſet & poſt aliqvantulum convaluiſſet, populo Aſſiſii convocato, & fune collo circumdato, nudum ſe trahi præceperit, uſque ad lapidem, in quo malefici publico afficiendi ſupplicio, collocabantur, ibi oratione ad turbam converſa dixit: *Se non ut hominem ſpiritualem honore, ſed ut lurconem ignominia afficiendum eſſe.* Sed qvid hoc aliud eſt qvàm ineptire, & his electitiis Deum offenſum reddere, qui longè alitur coli vult. Aſſiduè nempe orare, in verbo Domini meditari, appetitui carnis non obtemperare, & in præceptis Domini ambulare, hæc illa ſunt ſalutaria exercitia quibus vetus homo mortificatur, & Dei Voluntas impletur. His jam dictis addo Verba D. Cunradi Dieterici in Inſt: Catech: p. 171. quando ibid: præſcribit quid faciendum ſit contra pravos motus, ita verò ille: *Diligens commiſſi muneris functio, laboris aſſiduitas, jejunium, corporis caſtigatio, à rebus provocantibus abſtinentia*, Vera enim ſunt trita hæc:

Otia ſi tollas, periêre cupidinis arcus,

Ovid: lib: 1. de remed: Amor: p. 364. Vitare peccata

 eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

eſt, vitare occaſionem peccandi, Non facile capitur à Diabolo qui bono vacat exercitio.

Ores, caſta legas, jejunes, otia vites,
Si ſervare voles corpora caſta Deo.

vid: Mulleri Geiſtliche Erqvikſtunden p. 348. item Franc: Clingii Treuhertzige Vermahnung für Abfall. p. 231. Hoc ſignificat νεκροῦν mortificare, differt hoc ab illo mortuum eſſe quod habetur v. 3. *nam mortui eſtis*, Notandum hic quòd hoc dicatur de illa mortificatione, quæ fit in & per baptismum ſic Rom. VI, 4. dicimur *conſepulti per baptismum in mortem* item. v. 4. dicimur : *mortui peccato.* (Ubi diſt. aliud eſſe *mortuum* dicere quendam *peccato*, & *mortuum in peccatis:* prius à nobis exigitur, poſterius nos damnationis reos reddit, niſi reſipiſcamus, de priori loqvitur Paulus l. c. de poſteriori vero in 1. ad Tim. V, 6. Confer: Luc. IX. v. 60. Vocatur hoc: *mors ſpiritualis* infidelium, ratio eſt, quia vita corporali quidem vivunt, ſed deſtituuntur vita ſpirituali Confer: Coloſſ. II, 13.) illud verò de ea mortificatione qvæ per totam vitam eſt exercenda intelligitur. Prior eſt beneficium Dei nobis collatum, poſterior eſt officium à nobis per totam vitam præſtandum. *Noſtra enim Renovatio* inquit ſtrenuus Religionis noſtræ adverſus Pontificios Defenſor Balth. Meiſnerus in Conſult. Cathol. adverſus Leſſium *non fit ſtatim, ſed paulatim, non eſt momentanea ſed ſucceſſiva,* & Auguſt. tract. 41. in Joh. *Qvamdiu vivis, neceſſe eſt, peccatum eſſe in membris tuis, ſaltem illi regnum auferatur.* Succeſſivam hanc renovationem, Scriptura congruis deſcribit vocabulis & quidem Paulus 2. Cor. IV, 16. *Propterea, non ſegneſcimus,*

mus;

mus, ſed, etiamſi externus noſter homo corrumpitur internus tamen renovatur indies, hinc Rom. VI, v. 6. deſcribit illam *per abolitionem aut deſtructionem corporis peccati.* Licitum ſit hic mihi ad meliorem intelligentiam adſcribere quædam, quæ non planè erunt de nihilo ſed potiùs facient ad totam rem dilucidandam, eaq; deſumpta ſunt ex Syſt. Qvenſt. Theol. P. ult. p. 538. *Mors ſpiritualis fidelium eſt, qua ſalutariter mori dicuntur peccato, quod fit tum per regenerationem, quando peccatum, propter Chriſti meritum fide apprehenſum, ipſis remiſſum, non amplius coram Dei judicio eos accuſat, tum per renovationem quando peccatum in carne ſua mortificant, ejus vim & impetum per ſpiritum reprimunt ne in illis dominetur & vivat* Rom. VI, 12. *Qvi mortui peccato, quomodo vivemus in illo, id eſt operam ei dabimus?* ob quam cauſam Paulus præced. v. 3. Noſtræ Epiſt. ad Col. III. vitam noſtram vocat *abſconditam cum Chriſto in Deo.* Atq; ſic dupliciter cum Chriſto per baptiſmum peccato mortui dicimur, primò reſp: remiſſionis peccatorum, quæ eſt beneficium mortis Chriſti, quo fit, ut tam verè coram Deo nobis propter Chriſti mortem remittantur peccata, acſi ipſimet propter illa mortem ſuſtinuiſſemus; eò reſpicit Ap. Rom: V. 7. *etenim qui mortuus eſt, liberatus eſt à peccato*, 2. Cor. V, 15. *ut qui hoc ſtatuerimus, ſi unus pro omnibus mortuus fuit, nos omnes fuiſſe mortuos.* Confer ante omnia Scherzeri Syſtema Theol. p. 442. Deinde reſp: renovationis, quæ complectitur mortificationem carnis peccatricis (de qua hic agimus) hæc itidem eſt beneficium mortis Chriſti, per baptismum nobis collatum, eò reſpicit Paulus Rom: VI, 2. 3. 4. 5. 6. Illa peccati mortificatio non minùs vera eſt, quàm peccati remiſſio, non au-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

tem ita perfecta eſt, quin renati adhuc quotidiana carnis mortificatione indigeant, adeoq; ipſa experientia piorum hominum teſtatur non omnem carnis Vetuſtatem in illis exſtinctam & abolitam eſſe quod ipſum D. Paulus comprobat Rom. VII, 23. *cerno aliam legem in membris meis belligerantem adverſus legem rationis meæ, & captivum reddentem me legi peccati quæ eſt in membris meis* Confer & cap. præced. 6. v. 6. 12. 13. Tota res ſe oculis noſtris ſiſtit contemplandam ex Cap. 7. ad Rom. v. 8. *Vos mortificati eſtis* inquit Paulus *legi, per corpus Chriſti*, en priorem, quæ fit gratis, à merito Chriſti unicè dependens, ideo non dicit vos eſtis *mortui*, ſed *mortificati*, ut indicet, aliunde hanc à legis maledictione liberationem dependere, quàm à noſtris viribus. Poſteriorem tanquam effectum, quem prior à nobis, gratia Spiritus Sancti aſſiſtente, exigit v. 6. deſcribit his verbis: *Nunc autem liberati ſumus à lege mortuo eo in quo detinebamur, ut ſerviamus in novitate Spiritus, ac non in vetuſtate literæ.* Qvando autem Deus Dominus noſter fruſtra poſteriorem à nobis exſpectat, tunc afflictiones ſuæ præſtò ſunt, ut Chriſtiani admoneantur debiti ſui, quare & Eſ. c. 26. v. 16. verbis Emphaticis deſcribit hanc methodum divinam: *Anguſtia in qua clamant, diſciplina tua eſt ipſis,* quod Lutherus noſter ita vertit. **Wann du ſie züchtigeſt ſo ſchreyen ſie ångſtiglich.** *Hæ afflictiones plerumq; ſunt pœnæ peccatorum* inqvit Apol. A. C. p. 193. *Tamen in piis habent alium finem potiorem, ſcilicet ut exerceant eos, ut inter tentationes diſcant, qværere auxilium Dei, agnoſcant diffidentiam cordium ſuorum & ſicuti Paulus de* ſe inquit 2. Cor. II. *Ipſi in nos ſententiam mortis habuimus, ne confideremus nobis ipſis ſed Deo excitanti*

citanti

citanti mortuos. Item: *Afflictiones ſunt diſciplinæ, quibus Deus exercet ſuos. Afflictiones propter præſens peccatum infliguntur, ut renovari ſpiritu poſſint, ſicuti ait Paulus* Rom. VIII. v. 10. *Corpus mortuum eſt propter peccatum,* id eſt, *mortificatur propter præſens peccatum, quod adhuc in carne reliquum eſt. Ipſa Mors ſervit ad hoc, ut aboleamus hanc carnem peccati, quò prorſus novi reſurgamus.* Uſus ſum verbis ex Libro Symbolico deſumptis, quò res Lectori eò majorem faciat fidem, ita tamen ut Scripturæ dicta non negligenda ſint, & quemadmodum jam ea præmiſimus ita & adhuc quædam erunt afferenda Pſ. 118. v. 18. *David* inqvit: *corripiendo corripit aut caſtigando caſtigat me Dominus, at morti non tradit,* quam caſtigationem, ſi Eſaianis verbis illuſtrare velimus, dicendum erit, qvod non oriatur ex ira divina ſed potius ex amore Cap. 27. v. 4. ubi in gloſſa marginali hæc habentur verba, *ut pereat fiducia ſui & creſcat fides,* item: *non eſt traditio in mortem, ſed mortificatio.* Ex quibus omnibus nunc rectè conſideratis cum celeberrimo Jenenſium Theologo Gerhardo in L. C. p. 287. probo: *mortificationem carnis in baptiſmo cœptam per totam vitam continuari debere.* Si nunc ulterius conſideraturi ſumus Vocem νέκρωσιν, videbimus, quomodo illa & in aliis Scripturæ locis reperiatur & quem ſenſum habeat. Adducam 2. Cor. IV. v. 10. πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, ubi aut ſtudium illud mortificandi carnales concupiſcentias intelligitur, aut quod alii volunt, conditio miniſtrorum verbi, quotidianis mortibus obnoxia, denotatur, perinde tamen eſt, ſi enim prius, tunc eſt pro noſtra ſententia dilucidanda, ſin poſterius tunc ad ejus illu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

ſtrationem non minima affert, oſtendendo: (per qvandam ſimilitudinem ab illo ſtatu miniſtrorum Dei deſumptam) qua ratione *omnibus temporibus* huic mortificationi ſtudendum ſit, quò nimirum unusquisq; vitam Chriſti in nobis animadvertere queat, ſicque & in nobis adimpleatur illud Pauli Gal. II. v. 20. *Vivo quidem non amplius ego ſed vivit in me Chriſtus:* &c. Singularis adhuc nobis contemplatio obviam venit reſpicientibus in Cap. IV. ad Rom. ubi vox νέκρωσις adhibetur de ſterilitate Saræ. Nonne ipſe Jacobus, ſanctus ſervus Dei & Jeſu Chriſti Cap. I. v. 15. ad ſeq. cogitationes nos manu quaſi ducit. *Si enim concupiſcentia qvando concepit, peccatum parit,* qvis non de toto corde optaret, ſterilitatem hujus concupiſcentiæ, præſertim cum ſcimus, quod peccati *ſtipendium mors ſit* Rom. VI. v. 23. & fructus ejus Gehenna. Omne itaque ſtudium impendendum erit, ne concupiſcentia concipiat, nihil enim aliud nobis loco effectus relinquit, quàm iram Dei, omnes pœnas, non temporales tantùm, ſed quod horrendum, æternas & ſemper in infinitum duraturas, ſit itaq; ſterilis concupiſcentia, ita ut nulla nobis reſidua ſit ſpes de ejus fructu, quid? quod, ſuperet etiam in hac parte ſterilitatem Saræ, quæ tandem omni ſpe jam deſtituta tamen peperit. Paulus electum illud Dei organon in 7. ad Rom. v. 5. Jacobo conſentit dicendo: *qvum enim eſſemus in carne, affectus peccatorum per legem exiſtentes, vigebant in membris noſtris, ad fructum ferendum morti, Nunc autem liberati ſumus à lege &c.* Sic hactenus conſideravimus prædicatum, nunc ſubjectum, quod deſcribitur

tur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

tur per τὰ μέλη τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, conſiderandum venit. Et qvemadmodum, ſi ea, quæ dicta ſunt circa prædicatum, rectè obſervata ſint, non neceſſe erit plura de ſubjecto afferre, cum fieri non potuit quin ſimul ſubjectum explicatum fuerit, ita pauciſſimis nos expediemus. Beza vertit *membra veſtra terreſtria.* Gallica verſio cum Lutheri coincidit ſimulq; in margine explicationem apponit & quidem, ad vocem *mortifiez: non ſeulement aux ceremonies exterieures: mais auſſi à tout ce qui vous pourroit tenir arrétes à l' amour de ce monde.* Ad voces ſeq. *vos membres qui ſont ſur la terre;* ſeq: in modum: *vos affections qui ſont comme autant de membres interieurs.* Quod enim membra externa ſunt corpori, id ipſum affectus noſtri interiores ſunt animæ, ſecutus hac in parte ſententiam ſummi illius Theologi D. Chemnitii, ille in L. T. P. II. p. 95. ita ſcribit: *Sicut enim Paulus potentias animæ vocat membra* Rom. VI, v. 13. Col. III, 5. *ita etiam Chriſtus affectus, nomine membrorum deſcribit* Matth. V, 30. quod nos pro noſtræ materiæ conditione invertere poſſemus. Hi affectus diverſis gaudent nominibus, mox enim per *carnales cogitationes* deſcribuntur, I. Petr. II, 11. mox per *carnem* denotantur 1. Cor. XV, v. 50. *Caro & ſangvis non poſſidebunt regnum Dei*, ubi uſitata Scripturæ phraſi ibi denotatur homo carnalibus infirmitatibus ſubjectus, & à vitioſa carnis prurigine nondum liberatus. Quamdiu enim hic vivimus, nobis cum carne luctandum eſt, *quoniam illa ſemper concupiſcit adverſus ſpiritum* Gal. V, 15. Ideoq; vocamur σαρκικοὶ, *carnales, venundati ſub peccatum* Rom. VII, 14. Confer: Meisnerus in Phil. Sobr. p. 725. Interdum etiam vetus *homo* idem ſignificat, Rom. VI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

v. 6. Vocantur autem pravi motus cordis noſtri ideo *παλαιὸς ἄνθρωπος*, partim ratione *originis*, quia ab Adamo, poſtquam in peccata prolapſus eſt, ortum trahit, quia prima hominis conditio eſt naſci in peccatis ideo vetus dicitur; partim ratione *inſignis facultatum & partium hominis deformationis*, quæ tanta eſt, ut velut alius homo cenſeatur, ſi cum homine in ſtatu integritatis vel regenerationis conſideratur; tametſi ratione *Subſtantiæ* nulla ſit diverſitas, qualem *Manichæi* & *Flaciani* ſomniarunt. *Vetuſtatem & novitatem hominis* inquit Tertull. l. 1. de reſur: car: *ad moralem non ad ſubſtantialem differentiam pertinere defendimus.* Eadem ratione & ſentiendum de illa phraſi S. ſcripturæ, quando hos affectus deſcribit per corpus peccati, ibidem non quod, ex ſententia jam dicta Flacianorum, *ſubſtantialiter* ſed *metaphoricè*, cum analogia ad Veterem hominem, quemadmodum in noſtro dicto explicando, eadem ſimilitudine membra quoq; peccato tribuit. Varia enim intelliguntur Veteris vitia, tum quod per diverſas facultates & membra ſe exerat, tum quod corpus heterogeneum ex iis conſtituatur, tum quod per varias operationes ſe exerat, easq; tantas ac tales, acſi eſſet corpus quoddam per ſe vivum & ſubſiſtens. Quare autem dicitur totus homo crucifixus cum Chriſto? & quare: mortificate membra in plurali non in ſingulari? ideo, ut aboleatur non hoc aut illud peccatum, ſed totum peccati corpus cum omnibus membris ſuis, ut poſt hac non ſerviamus ulli peccato, & ſic dominium peccati deſtruatur. In quo nunc ſignificatu Paulus ſuos Coloſſenſes hortatur ut

morti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

mortificent membra quæ ſunt ſuper terram, quæ ab ipſo vocantur, *ſcortatio, impuritas, mollities, cupiditas mala, & avaritia* (Non jam in id allaborabo, ut de ſingulis illis quæ ſeqvuntur in textu, ſingula proferam, aliàs enim materia ſupra modum foret prolixior, ideo alio loco atq; tempore illa contemplanda reſervabimus) Paucis ut me expediam: Reſpicit Ap: Paulus hic ad ſacrificia Veteris Teſtamenti quæ mortua offerebantur. Boves hœdi & oves in veteri Teſtamento ſimul atq; incipiebant eſſe ſacrificia, tunc vita illis adimebatur, mactebantur enim, igne cremebantur, & à ſacerdotibus conſumebantur, ſed hoc Novi Teſtamenti ſacrificium ſingulare quid habet, mirè enim comparatum, ita ut ſimul mactetur & vivat, imò quantò plus occiſum & mactatum fuerit eò vivit melius & fortius Rom. VIII, v. 13. *Si ſpiritu actiones carnis mortificetis, vivetis.* Orig. in Comment. ad Ep. Rom. p. 601. talem inſtituit comparationem ad ſacrificia Veteris Teſtamenti, verba ejus ſunt ſequentia. *Hi qui membra ſua mortificant ab incentivo libidinis & furoris, actus corporis ſui Deo placitos habent, hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, offerunt, & legem quæ in Levit. lata eſt, ſpiritualitur implent; verbi gratia ſi ſuperbiam corporis ſui vincat, immolet vitulum; ſi iracundiam ſuperet, arietem jugulet; ſi libidinem vincat, in holocauſtum offerat hircum; ſi vagos & lubricos cogitationum reſecet volatus, columbos & turtures immolaverit.* Sed quemadmodum ſpiritus S. dat velle & perficere pro bona ſua voluntate, ita qvoq; ad hoc ejus indigemus auxilio; Hoc David ſciens Pſ. CXIX, v. 4. 5. *greſſus meos* inquit *Domine dirige ſecundum eloquium tuum, ne dominetur mihi omnis in juſtitia.* Digna ſunt ut adſcriban-

 tur

tur verba D. Joh. Brentii ad hunc locum: *His verſiculis modus etiam oſtenditur, quomodo regnum peccato adimatur, videlicet per verbum Domini, quod oſtendit, quantum Dominus iraſcatur peccato, & docet, quæ vitæ ratio ipſi probetur.* Qvibus annecto verba Hieronymi in Cap. IV. Amos, pauliſper immutata; *Deus enim* non *ſolum in Veteri Teſtamento ſed adhuc quotidiè mortem mittit in viam Ægypti ut qui Ægyptiam triverit ſemitam, audiat moriens docentem Apoſtolum* Gal. III, 19. *ſi mortuus ſum, peccato mortuus ſum, quod autem vivo, vivo Deo* Rom. VI, 7. Cor. IV. Gal. II. *hac morte nos vivificare vult Dominus ut morientes peccato, vivamus Deo. Morimur autem peccato quando mortificamus membra noſtra ſuper terram, fornicationem, immunditiem, luxuriam, ſuperbiam.* Catalogum autem omnium membrorum terreſtrium ſi quis conſtituerit, facilè conceſſerim. Ego cum immortalis nominis Theologo D. Chemnitio ex L. T. P. II. p. 95. ita ſentio: enumerationem eſſe faciendam per ſingula præcepta, ut ſciamus, hic accuſari quæcunq; cogitationes, impetus, delectationes, conſenſiones, luctæ, & in ſumma, quicunq; motus ſentiuntur contra aliquod præceptum Dei. Exurget igitur valde magnus Catalogus horum membrorum. Rationes perſvadendi ad vitanda hæc omnia deſumuntur partim à *fine voluptatis* Rom. VIII, 13. *ſi ſecundum carnem vixeritis, morte moriemini*; partim à *comminationbus divinis* 2. Pet. II, 10. *Novit Dominus injuſtos in diem judicii poenas dantes ſervare, maximè vero qvi carnem ſeqventes, in cupiditate pollutionis incedunt*, partim à *promiſſionibus divinis*, quas inter jam adducam illam Petrinam 2. Ep. I, 4. *Ex eo quod maxima ac pretioſa illa promiſſa donavit, ut per hoc efficeremini divinæ naturæ conſortes, elapſi ex corruptione, qvæ eſt in mundo per cupiditatem.* De hiſce Con-

fer:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

ſer: Chemnit: l. c. Reliqua quæ hic moneri poſſent, omittam, & ſic Sectionem primam concludam verbis Paulinis ex VI. ad Rom: 19. *Sicut ſiſtitis membra veſtra ſerva impuritati & iniquitati, ad patrandas iniquitates; ita nunc ſiſtite membra ſerva juſtitiæ ad ſanctimoniam.*

SECTIO SECUNDA POLEMICA

CONTR. I.

An piorum Renovatio ſit perfecta?

Reſp. quod non

In anteceſſum notandum: Nos non affirmare, quod renati non debeant contendere ad perfectam ſanctitatem, ſed hoc negamus: Eos, illam perfectionem debitam, in hac carnis & vitæ infirmitate conſequi poſſe. Quæ noſtra ſententia ex Scriptura S. (ex qua omnis firma probatio in articulis Theol: deſumenda eſt) & quidem ex noſtro dicto explicato probari poteſt. Quicunq; enim adhuc qvotidiana carnis mortificatione indigent, illorum renovatio eſt imperfecta, atqvi omnes homines indigent quotidiana carnis mortificatione, E. illorum renovatio eſt imperfecta. Minor iterum ex Scripturæ S. autoritate conſtat, quia & in regenitis illa oſtendit, *luctam eſſe carnis & ſpiritus* & Paulus 2. Cor. IV, 16. inquit. *Etiamſi externus noſter homo corrumpetur*, internus tamen *de die in diem* renovatur. Quod vero indies creſcit & augetur, nondum eſt perfectum, jam dicta lucta carnis & ſpiritus, eſt firmiſſimum teſtimonium noſtræ infirmitatis, qvàm diu enim illa durat, nulla perfecta poteſt eſſe ſanitas Gal. V, 17. Hanc imperfectionem

 in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

in renatis durare, ſuo comprobat exemplo Paulus cap. VI, ad Rom. in quo de vi inhabitantis & dominium affectantis peccati, quærelam præſertim à v. 14. uſq; ad fin: inſtituit, perſona propria. Loquitur autem illo capite de ſe ut renato, quod ipſum ſtatuunt omnes Theologi Orthodoxi firmis nixi rationibus. Hinc & Noſtrates in Form: Conc: p. m. 670. ita ſentiunt: *Cum enim in hac vita tantùm primitias Spiritus acceperimus, & regeneratio nondum ſit abſoluta, ſed ſolummodo in nobis inchoata, manet perpetua lucta inter carnem & ſpiritum etiam in electis & verè renatis hominibus.* Quodſi autem perfecta eſſet noſtra renovatio, ita; ut peccatum plane in nobis amplius non ſit; quid neceſſitatis in ſe contineret præceptum de ſemper orando; *Dimitte nobis debita noſtra?* ex qvo argumentor: Qvicunque orat, dimitte nobis debita & peccata noſtra, is peccata ſe habere præſupponit, ſed omnes ſancti id qvotidie orare tenentur. E. *Non petimus, quod habemus* inqvit Auguſt. Lib.I. ad Oroſ. contra Priſc: *ſed quod non habemus, petimus igitur ut nomen Dei ſanctificetur, quia illud perpetuò in nobis polluitur, oramus, ut Dei voluntas fiat, quoniam ſemper ei reluctamus, deniq; cupimus, remitti nobis debita quibus continenter obſtringimur.* Qvemadmodum verò Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt; ita tota res ſe clarior noſtris oculis ſiſtet, ſi antitheſin noſtræ theſeos conſideraverimus. Manichæorum & Pelagianorum item Fanaticorum, Socinianorum & Arminianorum cauſas diſqvirere, jam ſuperſedebimus, & tantùm Pontificiorum quorundam ſententias examinabimus. Illorum ſententia, quænam ſit, optimè judicari poterit ex Con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

Concilio Tridentino & quidem ex decreto V. Seſſ. V. 17. Junii Anno 1546. *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet tantum, ſed illud dicit radi, aut non imputari, Anathema ſit.* Citatur & à noſtris Theol: Bellarm: Tom: IV. Lib. IV. de juſtif: cap. 15. explicat hanc ſuam ſententiam Conc: Trid: ſeq: verbis: *In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis in iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes & novum induentes, qui ſecundum Deum creatus eſt, innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti, ita ut nihil eos prorſus ab ingreſſu cœli remoret.* Qvæ abominanda ſententia, quomodo Scripturæ ſacræ & praxi adverſariorum adverſetur, qvis prudens non videt. Optimè ſcripſit de illa Pontificiorum ſententia Franc: Clingius in ſeiner Treuhertzigen Vermahnung für Abfall. p. 230. Die Päbſtler leben anders als ſie lehren. Sie lehren daß die Sünde in der Tauffe gäntzlich getilget werde / und nichts überbleibe / was den Nahmen einiger Sünde habe / aber im Leben befinden ſie: daß noch Sünde in ihnen ſey / und fühlen / wie ſie zum öfftern davon angereitzet werden. Darum ſie auch mancherley Mittel gebrauchen der Sünde zu ſteuren und zu wehren / als der Vigilien / des Faſtens oder härinnen Kappen / der Geiſſelung und was des mehr iſt. Sed cum de hac controverſia omnia Theologorum ſcripta, inprimis Examen Concilii Tridentini D. Chemnitii, item illius L. T. & qvidem Locus de B. Operibus. B. Gerardus in Diſput: contra Fanaticos

 naticos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

naticos, item D. Calovii Scripta in omnium manibus ſint, multa proferre velle, me judice, ſuperfluum eſſet, interim ut tamen aliquid dicam, totam rem ex Haſenreſferi L. Theol. p. 593. ità definio: *Duo ſunt in peccato, vitium & vitio adhærens. Vitium eſt ipſe morbus ſive naturæ depravatio, reatus eſt culpa, qva propter adhærens peccatum, iræ Dei & æternæ damnationi natura obnoxii ſumus, Remittitur igitur in baptiſmo reatus ſive culpa. Vitium autem & naturæ pravitas etiam in renatis manet. Peccatum igitur* in baptiſmo tollitur, non, ut non ſit, ſed ut non in peccatum imputetur. Ex qvibus præmiſſis concludo: ſalvam manere noſtram ſententiam de qvotidiana carnis mortificatione, qvia vitia hæc inhabitantia ſemper ſunt ſupprimenda & in ſervitutem priſtinam redigenda. Si qvis de hac materia plura legere cupit, præter ſupra citata vid: Scherzeri Anti-Bellarminum, item Meiſneri Conſult. Cathol. adverſus Leſſium. qvi p. 93. Ita ſuam ſententiam exponit. *Omnia virtutum exercitia impediunt Papiculæ, perfectam piorum renovationem fingendo. Per iſtud enim dogma, animus phariſaica hypocriſi imbuitur, de ſanctitate ſua gloriatur, in deprecatione peccatorum laſſus redditur, quia perfectionem ſibi imaginatur, alios, qvi adeò ſancti non videntur, contemnit, in Chriſti meritum unicè fiduciam non ponit, ſed in ſuis etiam operibus ſalutis meritum qværit, & cum tandem illa imperfecta & non meritoria eſſe, ex interno Conſcientiæ teſtimonio diſcit, magnis dubitationibus implicatur & crebro in horrendam deſperationis voraginem abripitur.* His probè perſpectis qvis non judicaverit, ſententiam noſtram non ſolum eſſe Scripturæ ſacræ conformem, ſed & longè tutiſſimam ad conſeqvendam ſalutem, ad conſcientias pavidas conſolendas optimam, ideoq; & illam ſemper teneamus firmiſſimam.

CON-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

CONTR. II.

An Concupiſcentia ſit peccatum?

Affirmat:

Hæc è priori immediatè ſequitur. Quando enim Pontificii ſtatuunt; poſt baptiſmum peccatum non manere in renatis, ſed quod perfectè ſint renovati, neceſſariò habent ſtatuere: concupiſcentiam non eſſe peccatum, ratio eſt, quia Concupiſcentiam manere reſiduam negare non poſſunt, ideoque illam extenuant eamq; ſub peccati nomine venire negant. Concilium Tridentinum anathemate ſuo, iterum in contrarium ſentientes fulminat. Quando ſtatim illis quæ in Contr: I. ex Conc. Trid. citata ſunt. Subjungit: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur & ſentit, quæ quidem, cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Jeſu Chriſti gratiam repugnantibus non valet: Quinimo qui legitimè certaverint, coronabuntur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam catholicam nunquàm intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & proprium peccatum in renatis ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſentit anathema ſit.* Anathema me meritò terrere deberet, aſt Scripturæ autoritas hoc fulmen irridere ſvadet tutumq; adverſus illud promittit tutamen. Mirari hic non ſatis poſſum quo Pontificii progrediantur audaciæ, ſi enim primum principium, *Quicquid Papa dixit, infallibiliter verum eſt*, ſuæ religionis concedunt, abſurdiſſimas deinde theſes ſtatuere non erubeſcunt, imo ad extremum uſq; halitum defende-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

ſendere tenentur, quàmvis cor ipſorum longe aliter ſentiat. Sed ut ad rem veniam, Peccatum originis in renato manet, & concupiſcentia inde efluens veri peccati rationem habet, id quod ex firmiſſimis Scripturæ dictis probo, quæ unusquisq; pro lubitu evolvere poteſt. Rom. VII, 14. VI, 7. VIII, 5. 10. VII, 7. Gen. VI, 5. VIII, 21. Pſ. XIX, 13. 14. Pſ. LI, 12. Jer. XVII, 9. 10. Matth. VI, 12. Joh. XV, Gal. V, 17. Eph. IV, 23. Col. III, 5. 1. Joh. I, 3. His dictis annecto ſeqventia maximi valoris argumenta (1) Motus concupiſcentiæ ſunt illiciti, ergo & peccata erunt, quicquid enim illicitum eſt, peccatum eſt, (2) Concupiſcentia trahit ad malum E. ipſa quoq; mala erit (3) concupiſcentiam pravam Deus, it: & renati tanquàm vitioſam qualitatem odio proſeqvuntur E. peccatum erit verè & re ipſa tale (4) Chriſtus in omnibus nobis ſimilis factus excepto peccato, E. concupiſcentia peccatum eſt, ratio eſt: ſi enim in omnibus nobis ſimilis factus eſt, excepto omni eo quod peccatum eſt, ſane Chriſtus etiam, ſi concupiſcentia non eſſet peccatum, nobis in concupiſcentia factus fuiſſet ſimilis, ſed falſum eſt poſterius E. & prius vid. Friedlibius in Medull Theol. p. 338. Neq; quicquàm facit pro ſententia Pontificiorum, quod motus iſti ſint momentanei, nec aſſenſu noſtro probentur ſed repudientur. Concupiſcentia enim eorum, actu ipſo, dum concupiſcit certè & revera eſt concupiſcentia ſicqve nono præcepto prohibita; & quamvis nobis propterea iraſcimur nihilominus ipſi motus & ſenſus mali; nobis non opinantibus & renitentibus oprepentes, ſunt inordinati,

adeo-

adeoq; peccatũ graviſſimum. Neq; excuſat contrarium ſtatuentes: quod motus illi ſint naturales. Sunt, concedo, imo & boni ſunt qva motus ſunt, ſed non ſunt boni ratione adjunctæ inordinationis, & præterea idem prædicatum merentur, ratione objecti à Deo prohibiti, in quod feruntur, aliàs cum Chriſt: Chemnit. in Annot: ad Cathechſ: Died: concedere facilè poſſum; *concupiſcibilitatem non eſſe peccatum,* quæ aliàs Scholaſticis dr. ſenſualitas. Verum enim vero, cum hæc concupiſcibilitas ſit corrupta, & commoveatur ad malum, qvàmvis absq; conſenſu voluntatis, rectè tamen illam peccatum eſſe cenſemus. Judæos in hac etiam fuiſſe ſententia, in qva Pontificii reprehenduntur eſſe, ex cap. V. Matth: non obſcurè colligitur, qvando enim Chriſtus ſoepius dicit: *Audiſtis dictum fuiſſe à Veteribus: Ego verò dico*, tunc inter alia præceptum illis explicat de non concupiſcendo, ad qvæ verba ex Math: citata, ſummè Vener: D. Fechtius, Præceptor hactenus meus & in Chriſto pater omni obſervantiarum genere ſemper à me colendus, cujus pietatem & eruditionem ſolidam planèque ſingularem, tota Roſtochiana Academia miratur veneratur; in colloqvio Emmendingenſi, nuper à ſe edito ita ſcribit: Worauß erfolget / daß ſie ihre eigene groſſe Schwachheiten nicht geſehen / noch erkennen können / daß ſie das Geſetz durchaus nicht halten / noch erfüllen möchten / das ſie dahero unter GOttes Zorn / unter dem Fluch des Geſetzes und unter die Schuld der ewigen Verdamniß nohtwendiger Weyſe ſtecken bleiben müſſen ib: pag. 170. Nonne hæc etiam

dici poſſent de Pontificiis, qvod illi non agnoſcant infirmitates carnis *(cum cogitationes illorum ſint malæ* uſq; *à pueritia)* ipſorum. Gen. VIII, 21. Inſpexerint modo cap. VII. ad Rom: ubi concupiſcentia decies quater vocatur peccatum, ibiq; ea concupiſcentia intelligitur,(qvod negari haud poteſt), qvæ in renatis adhuc reliqua eſt, idq; *non dicitur qer aliquam Metonomiam, quod ex peccato ſit, vel peccatum efficiat & cauſetur, ſed propriè & formaliter, tum quia nulla neceſſitas nos cogit, ut à propria vocabuli ſignificatione recedamus, tum quia in propria hujus articuli ſede id ſit, tum deniq; quia apellatur non bonum, ſed malum v. 15. odio dignum, crucifigendum* & *mortificandum.* vid D. Quenſt. Syſt. Theol. p. 141. P. II. qvi pluribus hanc noſtram Theſin probat. Hoc unicum modo afferamus, qvod David in Pſ. XXXII, 1. adhibet, ibi enim non dicit, beatus Vir cujus peccatum planè eſt eradicatum, ſed כְּסוּי חֲטָאָה *cujus tectum eſt peccatum.* Qvod verò tegitur non planè aboletur; ſic in conſpectu Dei vitia quidem tolluntur, ſed reſp: materialis adhuc reſiduum manet peccatum originale & concupiſcentia. Præterea notandum; *quod totum chaos malorum, originalium & actualium, exteriorum & interiorum, complectatur in ſcriptura S. & patribus, nomine concupiſcentiæ* Rom. VII. *Concupiſcentiam neſciebam peccatum eſſe, niſi* lex dixiſſet, *non concupiſces.* Rom. VIII. *ſenſus carnis* φρόνημα τῆς σαρκὸς *inimicitia eſt adverſus Deum*, vid: pluribus de hac materia D. Chytræum in Regulis vitæ p. m. 426. 427. ſq: qui verò Objectiones adverſoriorum ſcire cupit & quomodo à noſtratibus reſolvantur, evolvat Syſtemata, Theol. imprimis Quenſt: Part. II. Cap. II. quæſt: 9. it: Friedlibii Medull. Theol. p. 340.

CON-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

CONTR: III.

An homo propriis viribus poſſit agere bona Opera. Neg.

Ad hanc Theſin dilucidandam, anſam nobis quoq; præbuit explicatio noſtri dicti claſſici, ſi enim rectè memini jam ante p. 7. diximus: quod virtute Spiritus S. qvi in baptiſmo nobis datus eſt, debeamus reſiſtere motibus vitioſis. Sed quemadmodum jam ſupra dixi: Pontificii ex uno abſurdo coguntur ſtatuere multa. E. & hac in parte illos invenimus diſſentientes. Cogimur de hac materia quædam diſſerere, qvia mortificatio à nobis exigitur ſeria, quæ conſiſtit in ſtudio bonorum operum; inde non incongruò quæritur; anne homo propriis viribus poſſit eadem peragere? Nos negamus, ducti ob ſacram Scripturam tanquàm immotũ fidei noſtræ orthodoxæ fundamentum; Pontificii affirmant, ducti ob vanã de perfectione renatorũ ſibi perſvaſam ſententiam. *Quippe intereſſe illorum conſiſtit in eo, quod, aſſertis liberi arbitrii viribus, ſaltem aliqualibus, putant ſe obtinuiſſe hominem non eſſe incapacem, ad ſervandum mandata Dei* & ad acquirendum *per ea merendumq; æternam ſalutem.* Vid. intereſſe Rel. Alberti p. 231. Secuti ſunt Pelagianos, qui ſtatuerunt, quod homo propriis viribus ſine gratia ſpiritus S. ſeſe ad Deum convertere, & vitam æternam promereri, valeat, ideo illum *errorem* Theologi noſtri vocant *craſſum* in Epit: Artic: Contr. p. mihi 580. Citamus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

iterum Concil: Trid: quippe ex quo illorum dogmata dijudicari debent. Illud Seſſ. 6. can. 5. Si *quis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum, amiſſum & exſtinctum, aut rem eſſe de ſolo titulo, imo titulum ſine re, figmentum deniq; à ſathana invectum in ecccleſiam, Anathoma ſit.* Contra quod dogma conf. Chemnitium in Exam. Conc. Trid. Loco de libero arbitrio, ejusdem L. C. de libero arbitrio, ante omnia A. Confeſſ. & præterea D. Alberti in A. C. thet. & Apol. pertr: inprimis notanda ſunt, quæ legimus in Notis Chriſt: Chemnitii ad Cath. Died. p. *103. Pulcherrimè Auguſtinus contra duas Epiſt. Pelagii ad Bonifac:* cap. II. *ſuper illa verba Salvatoris* Joh. XV. *ſine me nihil poteſtis facere, ita: Dominus, ut reſponderet futuro Pelagio (& ejus aſſelis) non ait: ſine me difficulter quicquam poteſtis facere, ſed ait: ſine me poteſtis nihil facere.* Probè ſane hæc ſunt obſervanda, quò infirmitatis & inhabitantis mali admoneamur non in nobismetipſis confidamus, acſi propriis viribus poſſemus reſiſtere carnalibus deſideriis, ſed cogitemus & benè perpendamus verba Ap. Pauli 2. Cor. III, 3. *Non, quod idonei ſumus per nos ipſos ad cogitandum quicquàm velut ex nobis* id eſt noſtris propriis viribus, *ſed quod idonei ſumus, id ex Deo eſt.* En candide lector, ſententiam de Renato etiam, qualis Paulus erat, qui idem Paulus ad Phil. II, v. 13. inquit *Deus eſt qui efficit in vobis, & ipſum velle & agere, pro gratuita ſua benevolentia.* Et quàmvis rectè noſtri Theologi ſtatuant, quod in *ſtatu reparationis poſt converſionem* vid: Diederici Inſt. Cath: 489. *mens & voluntas per gratiam regenerata, cooperari, lege Dei condelectari* incipiat, videte tamen quàm cautè Paulus loquatur. 1. Cor. XV, 10. *Non ego tamen ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.* Ab hoc uno Deo omnis noſtra venit idonejtas, qvanquàm autem

hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

hic non plena libertas, ſed virtus noſtra infirmitate perficiatur. 2. Cor. XII, 9. adeoq; ut ſtatuere habeamus, motus illos novos & bonos voluntatis non eſſe de eſſentia voluntatis, ſed in ipſa voluntate ſpiritus S. opus eſt, qui efficaciter conſenſum operatur. *Tantùm quippe Spiritu S. accenditur Renatorum voluntas, ut ideò poſſint quia ſic volunt, ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint* Auguſt. de corrupt: & gratia cap. 12. T. 7. col. 1345. ſit ergo hæc noſtra theſis firma: Quod cauſa efficiens noſtræ mortificationis ſit gratia Spiritus S. ex qua omnia bona opera procedere nos docemus.

CONTR. IV.

An Bona opera ſint, ſi non cauſa propriè dicta, tamen ad minimum cauſa ſine qva non ſalutis?

Negatur. Controverſia hæc non poterit accuratè à nobis conſiderari, niſi prius dicamus qvid intelligatur per *cauſam ſine qva non*, definimus vero illam, qvemadmodum edoctus ſum ex Metaph. *qvod* ſit *conditio neceſſariò præreqviſita, ſine qva aliàs non ſeqvitur effectus.* Diſtinguitur verò ita, qvod aliud ſit, conditio ſubjecti ſive perſonæ, & aliud effectus ſive rei, non ſtatim qvod eſt conditio ſalvandi, poteſt dici conditio ipſius ſalutis, qvemadmodùm B. D. Hülſemannus in Repet. Articul. IV. Lib. Conc. p. 146. & p. 191. & ſeqv: demonſtrat, confer. & ejusdem Brevis inſtructio ſtudioſorum de hac

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

materia imprimis Aphor. 2. qvod ipſum qvoqve ſtatuit celeberrimus Rudrauffius in Syll. Theol. Polem. p. 150. *B. O.* inqvit *ſimpliciter à ſalute obtinenda excluduntur, ut negata hunc effectum non ſuſpendant, ſalvamur enim absq; operibus, ſine lege, non poſſunt itaqve dici ſalutis obtinendæ conditio ſine qva non, omnis enim conditio ſine qva non ſuſpendit effectum ad qvem ordinata eſt, confundunt igitur* ſecus *ſtatuentes continuò conditionem ſubjecti & conditionem effecti*, præterea ſi conſiderem cauſam ſine qva non, vel qua dr. *cauſa ſine qva non poſitiva* ſive ſtatuens aliqvid in cauſa principali, qvo non præſente cauſa principalis non poteſt agere; vel illa dicatur cauſa ſine qva non privativa ſive removens impedimentum, ut e.g. pus ex vulnere, tamen nullo modo dici poſſunt B. O. cauſa ſine qva non, ratio eſt, qvia uterq; debet præcedere, ſed non præcedunt B. O. ulla ratione, ergo conſeqventia firma. Ob quam cauſam & illa phraſis in Form. Concordiæ nominetenus rejecta p. 693. Fuerunt qvidem non nulli ex noſtratibus qui putarunt non eſſe rem tanti momenti faciendam, ſi qvid hic concederemus, poſſet enim res non aliter concipi, ita ut nomen modò Bonis operibus tribuatur, ne ita duriores videamur, interim poſſemus tamen manere in ſalva noſtra Orthodoxia, ſed qvid hi egegerunt aliud, (ut utar verbis Magnifici Dn. Præſidis mei nunqvam ſine venerandi nominis ἐπισημασία à me laudandi in præfatione, libri, cui titulus: **Kurtzer Bericht von dem Unterſcheid der wahren Lutheriſchen Evangeliſchen und Reformirten Lehre /) als daß ſie dadurch bey rechtſchaffenen Lutheranern / wohlverdienten Haß / ihnen ſelbſt aber den unſeligen Nah-**

Nahmen der Syncretiſten erworben. Novi & ego quoque ejusmodi Virum qui in Colloquio aliquando privatim dixit, poſſe quidem ita dici; ſe non poſſe rem aliter concipere, at nos meritò abſtinemus ab ejusmodi vocabulis & loquendi formulis, clara enim & firma eſt conſequentia, ſine quo ſalvus ſum, id non eſt cauſa ſine qua non ſalutis, atqui ſine operibus ſalvus ſum, ergo opera non erunt cauſa ſine qua non ſalutis. Probè hic eſt obſervandum quod ad propriè ſic dictam cauſam ſine qua non reqviratur, ut inter cauſam veram & ejus influxum poſita ſit in medio, tunc, quando illa hunc exerit. Exempla & pueris nota ſunt. Quis vero prudens ita concluderet; *Homo non poteſt eſſe ſine potentia ridendi. E. potentia ridendi eſt cauſa ſine qua non ſcriptionis, cùm ad ſcribendum illa non concurrat, qvamvis ſcribens ſine ea, tanqvam homo exiſtere haud queat.* Vid. Alberti in A. C. p. 292. Dictum præcipuum quo noſtram ſententiam probamus, deſumptum eſt ex Eph. Ep. cap. II, v. 8. 9. *Gratis enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI donum eſt, non ex operibus ne quis glorietur.* Ubi obſerva qvod ſpiritus S. utatur præterioro tempore, ad demonſtrandam gratiam Dei nos prævenientem, poſſemus innumera adducere dicta ſcripturæ S. ſi neceſſè eſſet, ſed qvoniam ſummorũ Theologorum ſcripta loqvuntur, ego lubens taceo.

CONTR. V.

An mortificatio carnis conſiſtat in negatione debiti honoris, & ſit cauſa meritoria vitæ eternæ.

Qvod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

Quid Scriptura S. de hac qvæſtione judicet, jam ſupra audivimus, qvando de Baalitis & Phariſæis ſermo fuit, A. noſtra C. p. 31. de hac qvæſtione ita loqvitur: Inſuper *docet, quod quilibet Chriſtianus debeat ſe corporali diſciplina aut corporalibus exercitiis* & *laboribus* ſic *exercere, ne ſaturitas aut deſidia exſtimulet ad peccandum, non ut per illa exercitia mereamur gratiam, aut ſatisfaciamus pro peccatis. Et hanc corporalem diſciplinam oportet ſemper urgere, non ſolum paucis & conſtitutis diebus, ſicut Chriſtus* præcipit *Cavete ne corpora veſtra graventur crapula* Luc. 21. 34. & *Paulus ait, caſtigo corpus meum,* 1. Cor. 9. 27. *ubi clarè demonſtrat, ſe ideo caſtigare corpus, non ut per eam diſciplinam mereatur remiſſionem peccatorum, ſed ut corpus habeat innoxium* & *idoneum ad res ſpirituales, & ad faciendum officium juxta vocationem ſuam.* Corpus eſſe crucifigendum, hoc ex ſcriptura S. certò conſtat, oculos eſſe ejiciendos, id qvoqve ſcimus, ſed ita, qvemadmodûm à nobis in Sect: I. explicatum fuit. Fuerè tamem qvidam qvi in propria ſignificatione verborum, hæc omnia intellecta voluerunt, inter qvos refero illos, qvi corpus ſuum flagellant & variis modis mirè id afficiunt, de origine horum flagelliferorum vid. Polyd. Vergil. de invent: rerum p. 613. *Ceterum res iſta fidem facit, à Romanis Lupercis inſtitutum eſſe acceptum, quod illi Lupercalia ludicra celebrantes, nudi per urbem incedebant, ac larvati flagellis obvios cedebant; Quodſi longius liceat hujuſce verberationis initium quærere, ego ab Ægyptiis ſumtum dixerim, ſiquidem illi dæmoni maximo vaccam multis ceremomoniis, teſte Herodot: immolare ſolebant, quod ſacrificium dum ardebat, omnes verberabantur,* vide eundem pluribus. Quoniam de hac materia, jam agimus, adſcribam & illa, qvæ Dn. Friedlibius in Medulla ſua Theol. p. 449. habet & qvidem citat Tertullianum ad Martyres, *Hodiè* inqvit ſc. Tertull. ap. *Lacedæmones ſolennitas maxima eſt, Diamaſtigoſis i. e. flagellatio: Plutarch. in Lacon. Apophtegm. 3. Factum illud imitati ſunt nonnulli Peruſæ in Thuſcia, An. Chriſti 1260. & conſequenter in Hungaria*

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

& Germania, Domini 1349. qui ſe umbilicotenus ſcutica nodoſa ſive flagello flagellarunt, donec ſanguis ex corpore fluxit, & id ſanguinariam pœnitentiam nominarunt : Sed *à Carol. IV. illi proſcripti, & cùm ſeſe in Galliam conferrent & publicè flagellarent, à Clemente VI. in carcerem ſunt conjecti, & ſub pœna Banni prohibitum eſt, ne quis ſe publicè flagellaret. Atque Johannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis contra Flagellantium Sectam tractatum conſcripſit.* Si deniqve dicendum quod res eſt, Detrahitur hac ratione ſatisfactioni Chriſti, ille enim ideo Eſ. 50. 6. corpus ſuum expoſuit percuſſoribus, & malas ſuas depilantibus; faciem ſuam à contumeliis non abſcondidit & ſputo; hinc concludo. Qvodcunqve nullibi in ſcriptura, vel ſub ratione mandati, vel ſub ratione promiſſi invenitur, illud inter daminabiles cultus electitios qvibus fruſtra Deus colitur, meritô referendum. Atqvi E. ſed nunc adhuc aliqvid dicendum eſſet de cauſa meritoria, anne vocari poſſit mortificatio? Audivimus jam de illa re A. C. & ſtatim initio Sect: Exeg. occaſione partictlæ ἐν qvædam diximus ideo hæc ſufficiant & ultimam Contr. paucis adhuc videbimus.

CONTR. VI.

An mortificatio ſit pars poenitentiæ.

Affirmat hoc Wendelinus Exerc. CXXVI. §. 15. it: Calvinus, dùm partes pœnitentiæ ſtatuunt eſſe mortificationem & vivificationem, vid. Quenſt. Syſt. Sect.. II. p. 594. Tota res eò recidit. Si per mortificationem intelligitur contritio ſive dolor ex peccatorum agnitione & ſenſu iræ divinæ ortus, per vivificationem, conſolatio & pax Conſcientiæ, qvæ eſt ex fide, tunc coincidit hæc enumeratio partium cum noſtra; ſin verò per mortificationem intelligitur, ceſſatio ab impietate & malitia, per vivificationem ſtudium

novæ vitæ, tum dicimus ea pertinere ad fructus pœnitentiæ; in his enim partibus nova obedientia conſiſtit, ita ut verè pœnitens deſinat à malo, Pſ. 34. 15. Eſ. I, 16. ſed dum poſteriori modò intelligant Calviniani, tunc negativam tenemus: Conf: interim poſſunt Gerhardi Scripta contra Wendel. item ipſius Loc. Theol. T. III. p. 211. Nos hic in meditationibus noſtris ſubſiſtimus & cúm pauca hæc tantùm licuit ex librorum meorum ſupellectili qvaſi excerpere, me Lectori non ſatisfeciſſe lubens confiteor, ſed cùm inter primitias annumerandum ſit; qvid mirum, qvod non ſint ad cujusvis palatum. Tibi interim Domine, Deus mi, Tibi perſolvo grates non qvas debeo, ſed quas proferre lingua mea capax eſt, Benedictum ſit nomen tuum in ſecula ſeculorum, Amen.

SOLI DEO GLORIA.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-309 4° 1551